

loco decimæ ipsi nobilibus partem, siue mensuram vigesimam ad rassum retentis sibi partibus, siue mensuris decem, & novem præcedentibus ad culmum, dicimus, sententiamus, & declaramus, ut pro decima, & loco decimæ talium fructuum, siue victualium teneantur, & debeant dare, tradere, atque persolvere partem, siue mensuram trigessimam secundam ipsi nobilibus nominibus suis, & Ecclesiæ parochialis retentis sibi partibus triginta, & una præcedentibus, in ea mensura, & secundum eam mensuram, in qua & secundum quam mensurabunt partem ipsam prædictam ipsi nobilibus persolvendam. Quas quidem mensuras omnes judicamus, & declaramus esse mensurandas ad rassum, nisi aliud ut supra de partium voluntate processerit. De vino autem, de quo consueverunt ipsi nobiles recipere loco decimæ, siue jure decimarum eam partem, quam ipsi homines, & quemadmodum pro libito solvebant, ut præcludamus viam jurgiis, & litibus, quæ in futurum possent oriri, siue moveri, vel excitari dicimus, volumus, judicamus, & declaramus, ut ipsi homines, & incolæ locorum prædictorum teneantur persolvere, & persolvant ipsi nobilibus jure decimarum, & loco decimæ trigessimam partem, siue mensuram vini, quod recolligent eo modo, mensura, atque forma mensurandam, quibus mensurabunt priores vigintinovem partes sibi retinendas, ita ut tamen diligenter, & fideliter se habeant ipsi homines circa prædictam fiendam solutionem. De bestiis autem, de quibus, & pro quibus consueverunt ipsi homines, prout coram nobis confessi sunt, solvere partem decimam, ita ut tantum stante numero decimo persolvere consueverunt, adeo quod non consueverunt persolvere pro rato, siue secundum ratam numeri, nisi tantum numerus decimus impleatur, dicimus, volumus, & judicamus, ut de ipsis solvere teneantur in futurum eo modo, quo in præteritum sunt solvere consueti, absolventes, quitantes, & liberantes homines ipsorum locorum, ac solutione decimæ linorum, & caneparum, atque ceterorum fructuum victualium, siue recollectorum, de quibus & pro quibus non consueverunt in præteritum solvere. Quartam autem partem debitam Ecclesiæ parochiali ideo supra judicamus, & decrevimus exigendam, & recipendam simul cum tribus partibus debitis ipsi nobilibus ad leviolem exactionem, & ut jurgiis, & fraudibus præcludatur via, atque ut idem sacerdos commodius, & facilius suum debitum consequatur per hoc, non tamen arctantes ipsum sacerdotem, quin si velit in futurum posset exigere suam quartam partem pro libito voluntatis, quam partem quartam ut supra diximus, inclusimus, & pro inclusa volumus, & intelligimus in sexta decima, & trigesima secunda, atque trigesima mensurarum, ac etiam de decimis bestiarum adjudicatis, & per ipsos nobiles exigendis, ut supra. Prædicta omnia, & singula dicentes, judicantes, sententiantes, determinantes, limitantes, moderantes omni jure, via, modo, causa, & forma, quibus melius possumus, & de jure debemus. Non obstantibus quibuscumque consuetudinibus in contrarium præteritis temporibus observatis. Præcipientes de prædictis omnibus, & singulis de-

bere confici publicum instrumentum, & plura si si fuerit opportunum ad futuram rei memoriam ambabus prætatis partibus, & eorum cuilibet exhibendum, & si petendum duxerint, tradendum.

Lata data, & in his scriptis promulgata fuit superscripta sententia declaratoria per præfatum Rev. in Christo Patrem, & D. G. Bonifacium Episcopum Aquensem, & Comitem sedentem super quadam Cathedra posita in camera cubiculari domus residentie sue in civitate Aquis in contrata plateæ majoris, quam pro suo tribunali ad hanc sententiam proferebam elegit, & recepta, ac scripta per me Bartholomeum Carlevarium de Aquis notarium publicum, ac notarium curiæ Episcopalis Aquensis, ac prædicti Domini Episcopi Cancellarium anno Nativitatis Domini MCCCCXXXIV., indictione XII., die tertia junii præsentibus spectabilibus viris D. D. Marco de Carreto condomino Monbaudoni, & Bartholomeo de Carreto condomino loci Ponti ex Marchionibus Saonæ, ac egregio legum Doctore D. Percivallo Baruto, & prudente Baldassarre de Sismondis cive Aquensi, testibus ad hæc specialiter vocatis, & rogatis, nec non præsentibus spectabilibus viris D. D. Joanne, & Aleramo de Carreto dominis locorum S. Juliae, & Niosæ ex Marchionibus Saonæ, ac præsentibus Francisco Garlando, Odello Astexano, & Manfredo Ferrario de S. Julia findacario, & procuratorio nominibus dictorum locorum S. Juliae, & Niosæ, pro quibus communitatibus, & universitatibus locorum prædictorum dicti Franciscus Odellus, & Manfredus, & unusquisque eorum promiserunt de rato habendo sub obligatione omnium bonorum suorum præsentium, & futurorum omnibus legitime citatis ad hanc sententiam audiendam ipsam approbantibus, & omologantibus præcipientes tam præfatus Dominus Episcopus, quam dicti D. D. Joannes, & Aleramus, & prædicti Odellus Franciscus, & Manfredus dictis nominibus fieri unum publicum instrumentum, & plura si fuerit opportunum per me dictum Bartholomeum Carlevarium Notarium prædictum, & infra scriptum de prædictis.

Et ego Bartholomeus de Carlevariis ecc.

(1) An. MCCCCXXXIII., indict. XI., die XVII. mensis octobris præsentibus nobilibus viris D. D. Ardizzino de Bondonis locum tenente egregii D. Antonii Bossanini civis Albae potestatis civitatis Aquis, Thoma de Bondonis Castellano Calamandranae ambobus de Tridino Diac. Vercellen., Jacobino de Sismondis, Matthæo, & Conrado de Ainerdis tribus omnibus de Aquis.

Testamentum Serenissimæ Dominae Sophiae de Monteferrato Romanorum Imperatricis.

MCCCCXXXIV.

369

In nomine Domini N. J. C., & gloriosæ Virginis Mariæ Matris ejus, ac S. Morixii, & totius Curie cœlestis. Amen.

Actum in castro Tridini in Camera bassa penes Pischeriam præsentibus venerabili D. D. fratre Bartholomeo de Montilio Præceptore S. Mariæ de Tridino, Venerabile Domino Presbitero Jacobo de Teriaila, nobili Baldassarro Provana de Clavatio, Nicolino ex condominis Altavillæ, Ja-